



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 9. De Pace Cæsarem inter & Galliarum Regem irritu successu actum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

poralis accessio ad Belgii ditionem ex
 consensu Caroli V. die vigesima prima
 Octobris Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo vigesimo octavo.

Sæc. XVI.
 A.C. 1528.

§. IX.

De pace Cæsarem inter & Galliarum Regem irritato successu actum.

Ratio, quam Cæsar Ultrajectensi Episcopo, ejusque Capitulo proponebat, veritati haud dissona erat; quippe communis emanabat fama, quod pax Cæsarem inter & Franciæ Regem brevi firmanda foret, totusque difficultatis cardo in eo verti videretur, ut decerneretur tempus, quo Lautrecus, qui Gallicis copiis imperabat, ex Italia revocaretur: contendebat Cæsar, quod Galli primo ex Italia discederent, ac demum ambo Regis Filii, qui obsides Madriti hærebant, liberi demitterentur. Ex adverso Franciscus Galliarum Rex postulabat, ut horum liberatio copiarum discessui aut præmitteretur, aut saltem uno eodemque tempore utrumque fieret. Justa & æqua Cæsareis Ministris videbatur Regis petitio; quapropter Carolum urgebant, ut ipse præter cautionem ab Angliæ Rege præstitam nil aliud interea peteret, eoquod Henricus

Hist. Eccles. Tom. XXXV. D d Rex

Sæcul. XVI. A.C. 1528. Rex integram datæ fidei executionem in se suscepisset. Verum solus obstiterat Cattinarius Cancellarius, qui bellum omnino prosequendum censebat, prævaluitque ejus sententia. Igitur Angliæ, ac Franciæ Regum Oratores, qui tum Burgi agebant, sat sibi perspectam habebant Cæsaris pertinaciam, qua præprimis articulum de revocando Lautreco adimpleri postulabat; hinc die vigesima Januarii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo octavo Cæsarem rogarunt, ut eis discedendi veniam concederet; his tamen ita respondit Carolus: prius prospiciendum est securitati meorum Legatorum qui apud vestros Reges agunt.

§. X.

*Bellum Cæsari per feciales Angliæ
& Franciæ Regum de-
nunciatum.*

Post hæc duo Feciales, Guyennus & Clarentius, quos utriusque Regis Legati secum conduxerant, ad alloquium Cæsareæ Majestatis admitti efflagitabant; id etiam datum est eorum precibus Brugi die vigesima secunda Februarii. Igitur Imperator aulam ad audiendos Oratores destinatam ingressus
in